

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA;  
SISTENS  
MELETEMATA QUÆDAM  
DE  
ULCERIBUS,  
ET  
BORACIS IN IISDEM USU.

---

Cujus

PARTEM ALTERAM

CONSENSU EXPERIENT. FACULT. MEDICÆ ABOËNS.

PUBLICÆ VENTILANDAM EXHIBENT

GABRIEL ERICUS  
HAARTMAN,

M. D. PHYSICUS URB. ABOËNS. FACULT. MEDIC. ADJUNCTUS  
ET ANAT. PROSECTOR.

ET RESPONDENS

GABRIEL STARCK,

*Wiburgensis & Stipendiarius Segercrantzianus.*

IN AUDITORIO MAJORI DIE XIX. DECEMBRIS  
ANNI MDCCLXXXIII.

*Horis ante meridiem solitis.*

---

ABOË,

Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL.

*R. C. Cytus.*

*Ne inter initia quidem a quæstionibus deductam  
esse medicinam, sed ab experimentis. CELSUS.*

dictis labore haud arduo aliquatenus repeti posse; speramus, quæ præterea, utpote inter prima Medicinæ præcepta tradita, tanquam notissima præsupponimus; siquidem dispositiones corporum morbosas, humorumque pravas diatheses, nihil diæta tutius certiusque mutare atque emendare, omnibus jam plane evictum esse putemus: quamobrem nec mirum, cura diætæ neglecta, efficacissima quoque remediorum genera frustra omnino tam in Ulceribus quam aliis quibuscunque morbis adhiberi. Ut exemplo rem illustremus, sufficiat Ulcerum a scorbutica labe ortorum meminisse; quis enim otiosam omnino degens vitam, in lecto, calore stragulorum interdium etiam fatus sudansque, victum vero e genere dyspepto cacochylo hauriens, curam Ulcerum in cruribus languidis, & humore corrupto fere stagnante plenis, a validissimis licet remediis, diæta vero eadem permanente, unquam expectare possit?

Alterantibus supra memoratis remediis, quædam mercurialibus haud inferiora, in morbis præprimis sic dictis cutaneis a Celeberrimis artis salutaris Antistitibus commendata, adhuc addere forte liceat. Ubi ista peculiaris indolis lues, quam artis nostræ periti Elephantiaseos insignarunt nomine, corpus adeo infestaverit, ut in aperta ulcera, tumores morbi hujus foedi comites mutari cœperint, valde quidem dubia evadit spes recuperandæ valetudinis; sed neque tamen ideo usum decocti vel ex Cortice Ulmi vel ex Herba Ledi parati, plane spernendum esse, optimi eo-



rundem remediorum in desperatissimis quoque hujus generis malis observati s'vadent effectus.

Ad externa remedia pauca quæ postea demum nobis innotuerunt præterea referre liceat. Hepar sulphuris justa aquæ quantitate solutum, externe in Ulceribus inveteratis malignis effectum præstare exoptatissimum, ex Actis Acad. Nat. Curios. docent Commentatores Lipsienses (a). Inter præstantissimos remediorum in hocce malorum genere commendatorum effectus, illum quoque referre debemus, quem ex usu Spongiæ externo haberi observavit Cl. VAN WY (b). Ex casu ab illo allato apparet, hocce remedium in Ulceribus præprimis saniosis, curam ob corrodentis saniei copiam fallentibus, vim suam salutarem exferere; cum autem vi quadam leviter stimulante agere videatur, etiam in aliis quibuscunque hujus generis malis, a fibrarum quasi languore ortis, tentari utique meretur.

### SECT. III.

---

(a) Vol. XX. P. I. p. 121.

(b) In Handelingen ven het geneeskundig Genootschap, onder de zinspreuk; Servandis civibus. Deel. I. p. 339. Cfr. Saml. auserles. abhandl. 7 B, 3 St. p. 459.

SECTIO III.

*De Boracis in Ulceribus præsertim usu.*

§. 18.

Cum ad specialio rem hujus Opusculi materiem Boracis nempe in Ulceribus usum tradendum, jam accedere ordo instituti jubeat, generaliora quædam de isto sale, in quantum argumento explicando, perspicuitatis & evidentie affundere eadem possint, paucissimis præmittere, haud alienum judicaturum B. L. speramus. Quo rectius autem Veterum de Boracis usu detecta, quæ rursus synonyma, reliquaque ad Historiam ejus generalem pertinentia, ut intelligantur cognita & familiaria supponunt, cum nostræ ætatis recte comparari possint, cujus scitis dignitas major cujusque ingeniis in experiundo major cura & sagacitas omnino tribuenda est, sincere dijudicentur; ista licet a materie pertractanda prima fronte aliquanto remotiora videri possint, quam brevissime enarrare oportet.

Vario sub nomine sal nostrum *Borax* vel *Borras* antiquiore jam ævo tam Medicis quam aliarum artium cultoribus, notum fuisse, multi opinantur Medicæ artis haud parum gnari scriptores; atque cum Dioscoridis & Plinii *Chryso colla*, nec non Avicennæ *Ca-*

*pistro auri* confundere illud videntur, eo quidem ut opi-  
 namur nomine, quod eorum æque ac Boracis hoc  
 tempore ope aurum cum aliis conglutinare noverint  
 Physici metallis; *Amphitane* Indorum idem cum *Chry-  
 socolla* Græcorum fuisse testatur PLINIUS (c). Quæ  
 autem de varietatibus Chrysocollæ differit Dioscorides  
 (d), & quod inter illam quæ in ærariis & quæ in ar-  
 gentariis vel plumbariis aliisve denique generetur me-  
 tallis, describit discrimen PLINIUS (e), Fallopio aliis-  
 que forte ista tanquam dubia rejiciendi, veramque  
 inter Chrysocollam veterum nostrumque Boracem di-  
 stinctionem fingendi, ansam suppeditasse, videntur. *Tin-  
 car* vel *Tincal*, prout materia Boracis cruda hodie  
 quoque appellari solet, Arabicam, æque ac ipsa vox  
 Boracis, quæ apud scriptores Arabicos e. g. Serapi-  
 on primum occurrere dicitur, agnoscere originem o-  
 mnes consentiunt; ipsum Boracis vocabulum utpote  
 quod ab Arabum vel Mauritanorum Baurach, quo  
 nomine nitrum ipsis designabatur, deducere voluerunt  
 medii quidam ævi scriptores, nitro quoque proprie  
 competere crediderunt. Corrupte quasi magis, aliis  
 in locis Boraco, Barach, Lapidem Bore, Attincar, sal  
 Alembrot, atque sal Agrum, appellatum fuisse Bora-  
 cem, monet Cl. PORT (f); Borech vero Persarum  
 cum nostro Borace quoad dotes convenire, suadent  
 expe-

(c) Hist. Mundi Nat. L. XXXVII. C. X.

(d) De Medicinali materia L. V. C. LIV.

(e) l. c. L. XXXIII. C. V.

(f) Observationum Chemicarum Coll. II. p. 55.

experimenta a Cl. MODEL cum illo sale instituta (g). Hæc quidem densissimis, ut sic loquar, tenebris obvoluta sunt; sed neque id mirum videri potest, cum plerorumque fere simplicium nomina ab omni fere ævo pro lubitu mutata fuerint: magis quidem admiratione dignum est, quod Boracis nostri, licet a tot retro seculis tam Medicis quam Physicis & Artificibus, usitatissimi, nemini innotuerit patria, & quod tot Peregrinatores, licet medicarum quoque rerum curiosi regiones istas ex quibus adferri solet, peragran-tes, læpe ne verbulum quidem de eodem dixerint. Ex iis autem quæ de hac re obscure admodum & leviter ex itinerariis hauriri possunt, id quidem pro certo assumere licet, quod ex India tantum orientali, per naves ad Hollandos & Anglos advehatur, & quod olim ex iisdem locis per mercatores Alexandriam atque inde Venetias deportatum fuerit. Perinde tamen hoc fuerit; si modo origo ejus specialior, vel ex qua sumatur terra, aliqua innotescere potuerit ratione; sed ne liquet quidem sub qua facie primum nascatur, vel ex qua progignatur ut sic loquar matrice: quæ enim, ut veterum PLINII Dioscoridisque assertiones taceam, apud recentiorum nonnullos e. g. CÆSALPINUM, HERMANNUM, STAHLIUM, BERGERUM, GEOFFROI, cæterosque de ea re occurrunt, valde obscura, quin plane incredibilia videntur; nec spem quæ aliquamdiu, in hacce re, ex industria Cl. CNOLL

E 3

nobis

---

(g) Abhandlung von bestandtheilen des Boracis.

nobis affulgere videbatur, tutiorem, pollicetur epicri-  
 sis Cl. THUE, examini ejusdem CROLL subnexa.

§. 19. Tutius quidem Chemicæ analyseos ope  
 hujusmodi dirimi posse gordios nodos, jure exspectan-  
 dum videtur; quotquot autem de hac re bene mereri  
 voluerunt, parum omnino, tempore operaque frustra  
 perditis, profecisse, licet ipse de eo non querantur,  
 cuique sincere rem dijudicanti, fatendum est. Quis  
 cui Cl. VIROREUM HOMBERGII, STAHLII, LEMERY,  
 HENCKELII, GEOFFROI, POTTII, BRANDT, BARON  
 aliorumque reliqua de Chemicæ scientia egregia meri-  
 ta non plane ignota fuerint, eorundem circa dotes &  
 indolem Boracis detegendas, tam vanam existitisse  
 operam, crediderit? Attamen ne quidem ad quam-  
 nam, vel Alcalinorum vel Acidorum vel Neutrorum  
 denique pertineret classem, tuto inter illos constitit.  
 Lites, quas de ea re, haud placide interdum, egerunt  
 scriptores memorati, prætermittere lubet; quoniam  
 a proposito nos nimis longe hoc duceret: sufficiat in-  
 dicasse, Cel. POTTII observationes Chemicas & Acto-  
 rum Academiæ scientiarum Parisiensis Tomum I &  
 V, tanquam optimos fontes, unde hæc omnia curio-  
 sus lector haurire queat, haberi debere. Neque ma-  
 gis prodesset, Auctorum de natura & ortu acidi pe-  
 culiaris, Boracem constituentis, (sub alio nomine, fa-  
 lis nempe sedativi HOMBERGII notissimi,) opiniones  
 proferre varias; quare ut ea quoque ex Dissertatione  
 Cl. WALIN de eodem sole edita, si cuiquam placuerit  
 hauriantur, suavisse satis habeo. Majore autem atten-  
 tione



tione digna omnino mihi visa sunt, quæ de ejusdem  
 falis generatione nuperrime proposuit sagax & Cele-  
 bris Gallorum Chemicus LE SAGE (*h*); qui arte tan-  
 tum eundem fabricari, atque ex acidi Phosphorei &  
 Alkali sodæ p. anat. componi, contendere ausus est;  
 parari autem dixit ex miscela adipis porcinae, materia-  
 rum quæ facile putrescunt, & parvorum filicum, quæ  
 sub terra per quinque menses reposita, crysyallos ex-  
 hibeat Boracis. Si hæc omni carerent dubio, lux in  
 hac re a Phycis tamdiu optatâ, ex cinere quasi tan-  
 dem suscitata effulgeret, atque multa salutaris artis  
 dubia auferri, nec non pomceria ejus proferri, his  
 observatis possent.

§. 20. Usus Boracis (si eum Chryfocollam Dio-  
 scoridis fuisse cum plerisque statuamus) non tantum  
 in officinis, sed etiam Pharmacopoliis ab antiquissimis  
 jam temporibus late omnino valuisse videtur; neque  
 utilitas quam veteres Medicinæ scriptores in morbis  
 tam internis quam externis illi tribuerunt, exigui cen-  
 senda est momenti. Dioscorides (*i*), qui non solum  
 de ejus præparandi modo & bonitate, sed etiam usu  
 pro more concise disserit, vires illi tribuit purgandi  
 cicatrices, carnemque excrecentem coërcendam; a-  
 lias quoque dicit Chryfocollam esse adstringentem,  
 purgantem, excalescentem, & corpus modice mor-  
 dendo exedentem, nec non inter ea censendam esse  
 medicamenta, quæ vomitiones excitant & necem in-  
 ferre

---

(*h*) *Elemens de Mineralogie docimastique* p. 22.

(*i*) l. c.

ferre" possunt. PLINIUS (*k*) usum Chryfocollæ medicinalem ad purganda vulnera, cum oleo & cera, determinat; præterea eandem per se aridam siccare & contrahere, atque in Angina Orthopnœave cum melle miscendam dari, vomitiones concitare & collyriis ad cicatrices oculorum, nec non emplastris viridibus ad dolores mitigandos & cicatrices trahendas, misceridicit. Calidam & siccam eam appellat RHAZES. Facultatem vero admodum digerentem desiccantemque illi tribuit GALENUS, æque ad ea retulit quæ carnem liquant, non tamen fortiter mordicant; Quæ fere eadem apud AETIUM (*l*) & AVERRHŒEM (*m*) inveniuntur; quibus comparatis collatisque, facile patet vires ab hisce indicatas fuisse adstringentes & digerentes. Speciatim magis AETIUS (*n*) Chryfocollam naturalem & artificialem tam per se quam idoneis eodem scopo intervientibus pharmacis admixtam, vim Ulcera maligna resiccandi & adstringendi habere, pronunciavit. Pulveribus ad antiquas nomas & ad gingivas cruentas & carnem excrefcentem deprimendam, Chryfocollam addere quoque solebat idem AETIUS. Unde judicare licet, Boracis in Ulceribus usum veteribus machaoniæ artis cultoribus haud ignotum fuisse; licet in casibus ad ejus usum inprimis aptis determinandis, & modo eam applicandi designando, valde obscure fuerint.

§. 21.

(*k*) l. c. L XXXIII. C. V.

(*l*) Tetrabibl.

(*m*) Simpl. C. 43.

(*n*) l. c.

§. 27. Recentiorum Medicinæ atque Chirurgiæ  
 scriptorum pauci omnino de Boracis nostri in Ulceri-  
 bus usu differunt; plerisque alias, ad internum præ-  
 primis usum, vires illi tribuentibus. Ad externos u-  
 sus Boracem commendantes FALLOPIUS (o) & BAR-  
 THOLINUS (p), inter cauteria potentialia eum retu-  
 lerunt. Unguentis admiscendum, in Ulceribus cruris  
 scorbuticis, commendat SENNERTUS (q). In impe-  
 tiginè faciei Borace utitur RONDELETIUS; eadem for-  
 te ratione, in aquis frequenter adhiberi solet cosmeti-  
 cis (r). Si vera sunt, quæ SEBITZIUS de ejus in a-  
 ceto macerati, ad dolorem dentium mitigandum, pro-  
 posuit usu, acido illi phosphoreo ea tribui posse, atque  
 majorem in similibus casibus spem asserre, haud ab-  
 surde videatur. In leucomatibus corneæ, usum ejus  
 commendat Cel. THEDEN (s). E quibus omnibus,  
 vim, ex opinione plerorumque Medicorum, Boraci in-  
 esse detergentem, & leviter corrodentem, licet ad Ul-  
 cera parum applicatam, facile colligi potest. In Di-  
 ctionario autem Oeconomico vernacula lingua nuper  
 edito (t), specialior quidem Boracis in Ulceribus pu-  
 tridis obiter exponitur usus, æque ac apud LEMERY &

F

HER-

(o) De Cauteriis C. II.

(p) Syntagma de Caut. C. 14.

(q) Pract. Med. L. 5. P. 2. C. 13.

(r) GEOFFROI Mat. Med. T. I. p. 15.

(s) Unterricht für unter-Wundärzte.

(t) FISCHERSTRÖMS Oecon. Diction, p. 342 citatur Nouv.  
 Dict. de Med. T. I. p. 386.

HERMANNUM, qui pro absumendis excreſcentiis car-  
nium fungoſis, & Ulceribus ſordidis depurandis, eum  
commendant (u), a nemine vero doctrinam de Ulce-  
ribus peculiariter pertractante, hæc obſervata, inve-  
nire potuimus.

Internus, quem Boraci tribuerunt Medici recen-  
tiores, uſus, non multum quidem ad ejus in Ulceri-  
bus probandam utilitatem confert; ſed poſſunt tamen  
ex eo quoque rationes haud ſpernendæ, quæ præſtan-  
tiores ab eo externe adhibito effectus aliquando ſpe-  
rari jubent deduci. Boracem ab omni ævo ad par-  
tum juvandum, fœtum mortuum expellendum, men-  
ſesque ſuppreſſos provocandos, commendatum fuiſſe,  
notiſſimum eſt. Cum autem obſtructiones iſtas peſſi-  
mas diſſolvere, atque cachochymicam in iſto morbo  
haud mitem diſpoſitionem corrigere atque in melio-  
rem mutare valeat; jure efficaciẽ ab ejus externo  
quoque uſu opem ſperare licet. Cel. POTT vires Bo-  
racis, ab admixtione acidi vitriolici, quod naturam ſa-  
lis tartari induceret, reſolventes, colliquantas, atte-  
nuantes, diureticas, abſtergentes &c. derivare quidem  
ſtudet; ſed opinione ejus de analyſi Boracis dubia fa-  
c̄ta, vires memoratas, ſi Boraci tribui poſſint, ab al-  
lio ſane fonte deducere oportet. Vires aphrodiſiacæ  
quas SPINDLERUS & UNTZER Boraci adſcripſerunt,  
ulteriore certe egent examine, antequam inter certas  
admittendæ ſint. Idem omnino de aſſertione Cl. LE-  
MERY,

---

(u) POTT I, c.



)

(



MERY, Boracis caput mortuum ad glandularum mesenterii, lienis, uteri &c. obstructions resolvendas, & ad arenulas vesicæ abstergendas, commendantis, utpote ab aliis haud confirmata, me quidem iudice valet. Multo autem magis ambiguus est effectus ille adstrictorius in alvi & seminis fluxibus, nec non fluore albo simplici & virulento, Boraci a quibusdam tributus.

§. 22. Hæc jam allegata, licet vires haud contemnendas in Borace latefcere, ut speramus, probaverunt; oblivione tamen omnia quasi recondita fuerunt, ut ne minimum quidem cum eo tentatum sit experimentum, neque quidquam de ejus externo usu, novissimis temporibus monitum vel scriptum. Sic autem res medicæ ab omni fere tempore sese habuerunt, ut veterum inventa tanquam magicæ fictiones & ridicula somnia sæpe rejecta, novitates vero barbaetonorum & circumforanorum vetularumque pessimæ, maximis sæpius exaltatæ sint laudibus. Primus qui, ut opinamur, Boracis de novo quasi introduxit usum externum, fuit Cel. Anglorum Chirurgus GOOCH (v), licet antea notum fuisse testentur Commentatores Lipsienses (x); adhibet ille linctum ex Boracis drachma & Mellis uncia, in aphtis illis pessimis, quæ in febribus malignis infaustum adeo portendunt eventum; & quidem tam felici successu, ut intra breve tempus disparuerint quasi mechanicè discussæ. Eadem fere ra-

F 2

tione

(v) Cases and Practical remarks in Surgery T. II. p. 406.

(x) Secundæ Dec, Supplem. II. p. 607.



tionē Cl. CHALMERS (y), Boracem ad aphtas ab acido quodam ortas detergendas & debellandas, commendat. Alii vero nonnulli, aphtas tanquam criticas respicientes efflorescentias, detergentium ejusmodi validorum usū, utpote quæ crisin quasi turbent, magnopere interdiciunt; cum autem exanthemata alia etiā critica olim dicta, tutius nunc impedire atque debellare didicerimus, nihil credo obstat, quo minus etiā Aphtæ, fomitem pessimi alias alentes mali, quantocyus destruantur.

§. 23. Hæc cum in Patria eodem felici eventu in aphtis succederent experimenta, in eam Cel. SCHULTZENHEIM, cui me tanta debere supra lætus docui, opinionem incidit, validas in Borace hæere vires antisepticas vel antiputredinosas, quoniam malum optima alias ejus generis remedia spernens, prompte adeo tolleret. Hinc ipsi quoque in mentem venit, idem in Ulceribus fordidis tentare remedium, idque eo potius, quod ista Ulcerum genera, antiputredinosa alias efficacissima plane spernere, sæpius vidisset. Sordes enim, ut dicunt, quæ sæpius in eo Ulcerum genere, quod malignum supra appellavimus (z), oriuntur, quasque facilius dignoscere quam describere potest Chirurgus, curationi Ulcerum invincibile semper obijciunt impedimentum, ita ut neque mitius malum  
fordi-

---

(y) An account of the Weather and Diseases of South Carolina. (Ex Biblioth. Med. Pract. Cl. MURRAY Vol. II. p. 489.)

(z) p. 19.

fordibus præsentibus curari possit, licet nec iis abster-  
 sis tota tamen curatio mox absoluta sit. Hisce itaque  
 cum Ill. nostro tam Medicinæ quam Chirurgiæ prin-  
 cipe ab ACREL communicatis, vim Boracis contra e-  
 jusmodi Ulcera sordida in Nosocomio Holmensi ten-  
 tandam esse decretum fuit; cumque mihi exoptata con-  
 tingerit occasio, ista experimenta observandi atque pro-  
 pria quasi attingendi manu, eadem, venia Nobil. Præ-  
 ceptorum publico submittere examini, lubens decre-  
 vi. Casus itaque istos in Nosocomio Holmensi colle-  
 ctos, jam Tibi tradam B. L., paucissimis dein ex pro-  
 prio penu additis; patebit inde, speramus, rationem  
 experimenti haud incertam fuisse, cum omnia optimo  
 successerint eventu.

§. 24. Caf. I. Hominum experimenta cum Bo-  
 race instituta subeuntium, prima erat Femina 30 cir-  
 citer annorum, innupta, habitus corporis satis muscu-  
 losi, sed laxi & aliquantulum pingvis; cæterum sana  
 nisi forsan cachecticam paullulum dixeris. Ulcere in  
 medio cruris sinistri juxta musculus Tibialem an-  
 ticum, aliquamdiu jam laboraverat, dum illius cu-  
 randi gratia Nosocomium Holmense die 27 Novem-  
 bris 1779 petiit. Erat eo tempore malum haud leve;  
 ora enim ulceris dura; partes circumjacentes tumi-  
 dæ rubore Erysipelaceo quasi splendentes, fundus ve-  
 ro licet non admodum altus, sordidus tamen, parum  
 fundens puris illiusque faniosi, atque ex minimo fere  
 motu, sicut in scorbuto (licet alia ejus mali certa non  
 adessent signa) accidere solet, cruentus, malignitatem

ostendebant pessimam, ideoque curam præfagiebant difficillimam. Cum autem hæc symptomata antiputredinosa opus esse satis indicarent cura, laudatissimum hujus generis remediorum, pulvis nempe Corticis peruviani cum camphora ad modum Cel. GMELINI mixtus, Ulceri inspergendo, merito tentari cœpit. Nihil autem minus, omnia usque ad 4 Dec. sub continuo hujus remedii usu, si scarificationem solum tertio post ingressum die excipias, eadem permansere; ita ut nec solida mutata, nec pus magis digestum, ut ajunt, apparuerint. Quamobrem Ungv. Basil. consilio digerendi jam adhibitum fuit; quod tamen, licet per 4 dies continuatum, nihil boni præstitit. Cum itaque Ungv. hocce mite in solida ista emortua fere nullatenus agere videretur, merc. præcip. rub. illi admiscebatur, ut vi sua leni escarotica stimulum quendam adderet. Sed hæc spes erat vana, experimento licet per septimanam facto, ulcus enim hocce pertinacissimum, magis potius sordidum jam dixisses. Ob eam causam ad pulverem Corticis cum camphora, iterum recurrendum esse, jubebant Præceptores æstumatissimi; licet vero per 11 dies denuo adhiberetur, frustra tamen hæc evaserunt tentamina. Hinc jam alio modo idem adhiberi quidem pulvis cœpit; ante ejus nempe insperionem, Tinct. fœt. Pharm. Svec. Ulceri instillabatur: cum vero altero jam die pejus evaderet ulcus, mox istud sublatum fuit remedium. Nec Unguentum fuscum Fel. Wurzii, de cujus in Ulceribus jam supra monuimus usu, Unguento Basil. mixtum,

Plu-





Plumaceolæ illinitum ulcerique applicatum, meliorem habebat successum; malum enim in pejus mutari cœpit. Tertio Januarii cum hæc remedia nihil boni præstitissent, Liquor vitrioli ulceri immediate instillatus, atque plumaceola Ungventis mox dictis ebria externe applicata, tentamen subivere. Ungventis illis sequente die sepositis, eorum loco pulvis GMELINI ex Chinch. & Camph. inspersus fuit. Hoc vero etiam ablato, Liquori illo solo 5 Jan. uti jubebatur Ægra, & quidem pluries die quolibet repetito. Oétavo die ejusdem mensis, cum hæc remedia parum omnino profecissent, suspicari cœperunt Scholæ hujus Chirurgiæ Practicæ Administratores longe Celeberrimi, virus aliquod sublatere venereum, Ulceri huic fomitem quasi præbens; licet nullum aliud apud Ægrotam ejus mali adesset signum, nisi quod rumor non castissimis eam fuisse moribus, adferretur. Quamobrem externis remediis immutatis, Pilulæ simul ex Calomelano interne exhibebantur. Vi horum remediorum tam internorum quam externorum immutato ordine propinatorum, ulcus hocce, licet nunc non pejus, quod quidem jam præter consuetudinem erat, pertinacissime tamen resistebat; ita ut ab iis curam frustra expectari, nullum superesset dubium. Cum itaque viri sagacissimi in curatione Ulceris hujus tantopere defudassent, opportunam esse occasionem vim Boracis jam tentandi merito judicabant. Hinc Mercurii solum interno usu, modo supra dicto continuato, Plumaceola solutione Boracis tepida madida, jam primum Ulceri applicabatur. Die



Die 14 ejusdem mensis, ad quem usque omnia in cura eadem permanebant, ulcus jam minus sordidum minusque malignum apparebat; ideoque remedio huic benefico, læte insistendum esse, facile judicares. Sed etiam nunc curam præterea antivenerream mixtam subire cœpit mulier, cum jam aliæ rationes suspitioni faventes detectæ fuissent. Sic remedia modo enumerata, justo nec interrupto ordine adhibita, adeo felicem præstiterunt vim atque effectum, ut quoties de novo deligaretur, toties sordes pauciores, putredo minor, atque vulnere recenti quasi similis apparuerit ulcus, paullo antea pessimum. Die 28 omnia itaque sic mutata erant, ut ad Consolidantia refugere tandem liceret, quo consilio Ungv. sic dictum exsicicans applicari solebat. Ultimo autem ejus mensis die, cum studium quietis neglexisset Ægrota, aliosque præterea diætæ commisisset errores, ulcus iterum pessimi erat moris, ut nova solutionem nostram experiendi occasio præter spem contingeret. Hac vice experimentum præstantissimi erat successus; ita ut sequente jam die fas esset vulgaribus iterum uti remediis. Hisce juxta necessitatem ad naturamque Ulceris accommodatis, mutatisque, nec non fasciâ expulsivâ (a) suffultis, die 11 Febr. adeo sana erat Mulier ut ex Nosocomio exire posset.

§. 25.

---

(a) Fasciam expulsivam atque postea tibialem constructam in hoc casu ad citiorem tutioremque curam multum contulisse, hic adnotasse non inutile putavimus.



§. 25. Caf. II. Fœmina 25 circiter annorum, impuro virorum commercio addicta, Nosocomium Holmenſe die 23 Jan. 1780 ingreſſa Bubonem habebat in ingvine dextro apertum, cum Ulceribus circumjacentibus labium pudendi atque totum fere ingven occupantibus venereo cancroſis. Cæterum cum varias paſſa moleſtias, atque omnium fere cura deſtituta fuiſſet, mirum non fuit eam debilem, emaciatam, pallidamque, nec non febricula pulſu celeri parvoque ſeſe manifeſtante, viſam fuiſſe laborantem. Quæ omnia, antiſiphilitica cum antiſebrilibus haud obſcure indicabant adhibenda eſſe remedia, præbito ſimul cibo nutriente ut debiles refocillarentur vires. Huic itaque obtemperantes indicationi, Laxans antiſphlogiſticum atque externe Plumaceolas Ungv. Baſil. Merc. præcip. rubro mixto illinitas, præſcripſiſſe, facile ſperamus conjectatum iri. Quibus itaque externis remediis ad ſequentem diem propinatis, cum jam nullum appareret in ulcere diſcrimen, Pilulæ e Colomel. ut eo efficacius peſſimo obviam iretur virus, ſimul exhiberi cœperunt. Die 25 in pejus omnia jam ruere cœperant: febris enim manifeſtior, cum pulſu debiliore atque celeriore, nec non cibi ſaſtidio ſitique majore, prægreſſis horroribus vagis, aderat haud levis; in ulcere autem ſordes atque maculæ gangrænofæ, nec non ſolida quaſi diſſoluta apparere cœperant, quæ omnia magnas Ægrotæ minabantur clades. Ne igitur fomitem putredinis aleret Mercurius tam interne quam externe adhibitus, ab ejus uſu deſiſtere fas omnino erat;

ejus vero loco Chinchinæ binas quovis die drachmas fumere jubebatur Ægrotā, externe autem pulvis ille GMELINI e Cort. Peruv. & Camphora, Ulceri more solito inspergebatur. Cum jam ex his, per tres licet dies sine ulla in curandi methodo mutatione continuatis, nullum appareret commodum, ulcera vero in unum, magnitudine palmam superans, crusta obductum gangrænosa pessime fetente coaluissent, parum omnino a Corticis externo usu expectandum esse, facile erat judicatu; quapropter solutionem Boracis tentandi opportunam iterum adesse occasionem, feliciter judicabatur. Plumaceola itaque hac solutione madefacta, sicut in priore casu, ulceri applicata, pluriesque quotidie denuo irrorata adhibebatur; Chinchinæ tamen, ne altiores dispositio humorum putrida ageret radices, interno usu continuato. Hisce sic peractis, 31 hujus mensis die, magnæ jam apparebant mutationes; crusta enim illa gangrænosa quæ magnam partem cellulosæ atque musculorum subjacentium corruerat, qua maximam partem separata, forfice abscindi potuit. Cum vero haud omnes sordes, vicinas corrodescentes plagas, per hanc operam deletæ fuissent, febrisque item, licet jam multo mitior, cibi tamen fastidio, siti & debilitate sese manifestaret, medendi rationem non mutandam esse judicabatur. Post hæc magis atque magis ulcus purgari & in aliud melioris indolis mutari quasi cœpit, licet canceris more adhuc circa vicinas aliquantulum serperet partes. Die vero 4 ejusdem mensis omnia in sanitatem

ver-



)

(



vergere cœperunt; fordes enim omnes abfuere, ita ut musculi subjacentes tanquam abluti, atque novæ carnis stamina hinc & inde emergentia, respici possent. Quam ob causam regimine etiam externo mutato, Plumaceola Ungvento Basil. illinita, (Corticis tamen interno ob magnam debilitatem usu continuato), adhiberi cœpit. Sequentibus diebus, omnibus in cura immutatis, melius atque melius usque ad octavum diem fieri visum est ulcus; melioris autem jam digestionis gratia Syrax liquida Ungvento Basil. admiscebatur; cumque in Ulceris infimo margine fordes regenerari quasi cœpissent, solutio Boracis modo supra dicto in ea iterum adhibebatur plaga. Ex hisce ad 14 usque continuatis remediis, saluberrimum optatissimumque videre licuit effectum; ulcus enim hocce antea adeo malignum sordidumque, vulneri recenti optimi moris simile merito judicasses, nisi sinus & margines in loco suspecto irregulares veram ejus prodidissent indolem. Cumque præterea vires jam aliquantulum recuperasset mulier, Chinchina sublata, ejus loco antea dictæ Pil. mercuriales, externa medendi ratione eadem permanente, de novo propinari cœperunt. Hoc autem remedii genus absque magnis molestiis ultra tres dies ferre non potuit, quamobrem circa externam solum hæerere medelam necesse erat. Die vero 23 cum jam melius sese haberet ægrota. Pilulis istis denuo uti cœpit, externe Ungvento Basil. solum applicato. Postea cura antivenerea solita, symptomatibusque accommodata, Mulieri huic Libitinam quasi jam evasæ, pri-

stinam reddidit sanitatem, ita ut Nosocomium relinquere atque consueta negotia sine molestia die 18 Martii suscipere posset.

§. 26. *Cal. III.* Vir 30 circiter annorum, robusti corporis, sanique præterea habitus, laboribus haud lenibus semper assuetus, contusionem in pede sinistro acceperat adeo gravem, ut partes circa externa Tali valde quassatæ, atque Musculi flexores eorumque Tendines ad ossa usque læsi laceratique essent. Tanto afflictus malo & magna præterea pressus paupertate omniumque destitutus cura, per totam jacebat septimanam, donec tandem in Nosocomium Regium reciperetur. Gravissimo omnino eo tempore vexabatur malo, vulnere scilicet in pessimum jam mutato ulcus; pessimæ enim sordes atque maculæ jam aderant gangrænosæ, ossaque præterea quædam Tarsi, facies nimirum externas ossium Calcanei, Cuboides atque Metatarsi digiti minimi, caries quoque infestare cœperat. Neque tamen omnis adhuc sublata erat spes; nulla enim laborabat ægrotans febre, neque ingente vexabatur dolore vel alio pravo symptomate, animoque erat hilari, nullarum impatiens molestiarum. Ut efficax hujus mali adhiberetur medela, tam interne quam externe, Cortex propinabatur Peruvianus; interne nimirum drachmam ejus unam quotidie sumebat æger, externe autem Pulvis ille GMELINI more solito ulceri inspergebatur. Nihilo autem minus, sequente jam die circa vicina latius altiusque serpere videbatur Gangræna. Guttis itaque aliquot Liquoris

ris

ris vitrioli, ulceri, ut eo validius putredo arceretur, instillatis, Chinchinæ usus continuabatur. Tantum quidem hæc præstitit medendi ratio, ut altero die Gangræna jam subsisteret, sordes autem eadem tamen permanebant; quamobrem iisdem ulterius uti remediis jubebatur spe nempe fore ut tempus remediorum vires adjuvaret. Hisce ad 4 usque diem eodem adhibitis modo, nihil hucusque cernebatur mutatum, excepto quod frustulæ quædam ossium cariosorum exfoliatae demi possent, ulcus autem eadem laborabat sorditie ita ut a remediis jam adhibitis, curam promptam quidem expectare non liceret. Eam itaque occasionem Boracem nostrum ulterius tentandi, haud negligendam fuisse, quisque merito judicat. Quamobrem solutione ejus, methodo supra memorata Plumaceolæ madefactæ externe applicabantur, pluriesque quotidie easdem madefacere jubebatur ægrotans. Ad eo felicem hocce remedium habebat successum, ut sequente mox die pristinum suum mutaret sordidum statum, atque purgatum quasi ablutumque, ulcus appareret. Ne autem (ut antea interdum contigerat) malum novas ageret radices, eandem per tres usque dies continuandam esse medendi methodum, svadebant Præceptores. Nono ab ingressu die, optimum (comparative dicendo) erat ulcus hocce ab initio adeo sordidum, tantoque ob Gangrænam incipientem periculo plenum, ut jam nonnisi vulnus recentissimum diceret. Hinc a detergentibus istis jam desistendum, eorumque loco digestiva & epulotica adhibenda esse re-



media, evidens docuit indicatio. Unguentum itaque Basil. in disco ulceris atque Ungv. exsiccans vel Aqua saturnina circa oras ejus applicabantur; quæ cum Escaroticis & Scarificationibus, pro ratione mali accommodatis, tamdiu adhibebantur, ut Ægrotans sanato ulcere Nosocomium relinquere posset.

§. 27. Hisce observationes paucissimas ex proprio, postquam ipse Medicinam exercere cœpi, penitus sumtas, quatenus argumento proposito lucem præbere possint, addere liceat.

Cal. IV. Fœmina 34 annorum innupta, fatis obesa, pallida, solidis corporis nimis laxis, atque humorum dyscrasia cacochymica a multo jam laborans tempore, consilium, ulceris in crure sinistro obvii curandi gratia, die 8 Apr. 1782 petiit. A levi contusione ante 5 jam annos ulcus hocce haud leve primam suam trahebat originem; cum autem eodem fere tempore menses antea copiose fatis fluentes, neque ab eo tempore visæ, cessassent, mirum videri non potest, ulcus ea ratione in multo pejus mutatum fuisse. Erat vero ulcus jam pessimæ indolis, oris nempe tumidis, callosis, disco fatis profundo, licet dimidia palma parum latius, sanie odore foetente putrido fordibusque vel fibris quasi putrefactis mixta, uudique obvelatum; quæ omnia, malum curatu haud leve indicabant. Quoniam autem fons mali præcipuus ab obstructione mensium jam inveterata, utpote quorum loco, ulcus hocce fœminis necessarium sisteret emissarium, merito erat





)

(



rat derivandus; eo etiam indicationem curatoriam ver-  
tendam esse credidi. Ea ratione, remedia hoc consi-  
lio usitata, adhiberi cœperunt; cucurbitulæ nempe in  
regione ossis sacri, atque venæ sectiones in pedibus,  
iusto repetitæ tempore, nec non remedia interna ex  
emmenagogorum & roborantium classe sumta, pro ra-  
tione mali exhibebantur. Cum autem hæc, emolu-  
mento haud conspicuo, per binos jam usurpata essent  
menses, fonte acidulari Cuppissensi, utpote qui obstru-  
cta resolvere, viscida incidere atque abluere, nec non  
relaxata roborare promptius valeret, uti jubebatur, re-  
mediis tamen antea adhibitis iusto simul ordine pro-  
pinatis. Externe Pulvis Chinch. ad GMELINI modum  
cum camphora mixtus, nec non Unguentum exsicc. al-  
ternis ulceri applicabatur vicibus; quorum ope sordes  
licet non destructæ, tamen nec peiores evaserunt (b).  
Hisce ad finem usque mensis Julii sic peractis, menses  
tandem, parca licet copia, apparere cœperunt, ita ut  
bonam prognosin ferre jam liceret, iisdemque reme-  
diis per aliquod tempus ulterius esse insistendum, me-  
rito judicaretur; quod eo quoque actum fuit effectu,  
ut Luna altera vice decrescante, uberius jam fluerent  
menses. Sub initio autem Augusti, dum varias diætæ  
præscriptæ regulas transgressa esset ægrota, ulcus for-  
dibus

---

(b) Cum alia vice Boracem in simili fere casu sordes  
quidem pellere, neque tamen ulcus inde curari viderim;  
internum hujus mali fomitem prius destruere quam ex-  
ternum, consultum duxi, ideoque Boracis quoque usum  
ad tempus magis opportunum differre placuit.



dibus fere gangrænosus obduci cœpit eo infaustioribus quod Chinchinæ vim antisepticam evanidam jam redderent. Hanc igitur occasionem, Boracis effectum tentandi optimam meritoque amplectendam judicavi; qua propter solutionem ejus, modo antea dicto ulcere applicavi, quotidieque mutavi, nec non pluries inter deligationes de novo irrigari monui. Licet adeo promptum hac vice haud præstaret effectum solutio Boracis, ac in Nosocomio Holmensi observare mihi contigit, tamen post binas septimanas, omnes abolitæ fuere sordes, ideoque præcipua curationi ulceris objecta impedimenta fuerunt amota. Postea remedia, ad callum destruentium & carnem excrescentem corrodendam novamque inducendam usitata, ea adhibita fuere efficacia, ut in fine novembris nullum præter cicatricem superesset ulceris vestigium. Remedia interna nec non Venæ Sectiones pro re nata repetitæ, mensium provocandorum gratia præscriptæ, continue adhibere jubebatur ægrota, donec justa copia absque dolore fluere cœpissent.

§. 28. Caf. V. Alia femina melioris fortis post levem contusionem in crure sinistro ab infantili fere usque ætate, ulcere afflicta erat maligno. Erat hæc femina 30 circiter annorum, statura mediocri, gracili, habitu debili, laxo, cacochymico, dispositione Hæctica, Hæmoptysi pluries atque doloribus Arthriticis non tamen valde atrocibus nec non scorbuto interdum vexata; præterea ventriculo quoque laboraverat debili, unde appetitus provenerat prostratus pravaque  
dige-

digestio. Hæc jam præcipua erat caussa, cur fontem acidularem Cuppifensem visitare illi placeret; aliorum præterea remediorum stomachicorum consilium petiit. Eodem autem tempore vitium illud externum quoque detexit, remediaque ad idem curandum apta quaesivit. Erat vero ulcus hocce natura jam admodum maligna, ita ut vim remediorum alias præstantissimorum vanam omnino redderet. Magnitudo quidem Imperiali nunc haud major erat, licet palmam antea multo superasset, sed ora callosa, caro excrescens, dispositio scorbutica, sanies copiose fatis secreta, fordesque pessimæ, illud tanto pejus reddiderunt. Die 16 Jun. anni præcedentis, dum hæc omnia mihi inspicere contingeret, in eam facile incidi opinionem, ut occasionem hancee fatis idoneam esse putarem vim Boracis tentandi. Cum autem indoles ulceris nimis adhuc esset scorbutica, istam satius duxi prius aliquatenus mutare, quam mox putredini obviam ire; quo consilio diætam antiscorbuticam, nec non remedia ejus generis præscripsi interna, externe vero Pulverem GMELINI sæpius laudatum, cujusque in simili casu efficaciam antea observavi, ulceri inspersi. Per 14 dies eundem servavi medendi ordinem, antequam utilitas quædam inde percipi posset; jam vero minus cruentum apparebat, atque plagæ circumjacentes a maculis istis scorbuticis plurimum liberatæ; peculiaris autem ista forditudo, cujus jam sæpius mentionem fecimus, morosius perduravit, ita ut Chinch. per 4 ulterius dies frustra omnino adhiberetur. Quum itaque 4 Jul. ni-



hil ab ista medendi ratione sperandum esse, jurē me-  
tuerem, eandem eo quidem mutavi modo, ut loco pul-  
veris GMELINI Boracem in aqua solutum modo su-  
pra dicto applicarem, & eum quidem tanto potius quam  
nihil obstaret quin ejus vis hæc occasione tentari me-  
reretur. Ad 9 Jul. hæc continuare, spleniis scil. quo-  
tidie mutatis, prætereaque nova solutione sæpius ir-  
roratis, necesse erat, antequam sordes destrui possent.  
Hoc autem die bona omnia aderant omina, facies nempe  
vulneri recenti similis & caro quasi regenerata, oræque  
haud tumidæ epulotica jam adhibenda esse svadebant,  
quo consilio Ungv. e Calami. Lap. jam applicavi. Cum  
vero per 3 dies hæc adhibita fuisset methodus, pristinam  
omnino suam recuperavit ulcus indolem, ita ut haud me-  
lius illud fuisse quam primis diebus dixisses, suppuratio-  
ne quidem adeo vitiata, ut pessimæ sordes paris loco  
superficiem ulcæris obtegerent; ideoque occasio ad Bo-  
racis usum iterum tentandum, haud prævisa sese ob-  
tulit. Hæc autem vice diutius ac antea eandem ser-  
vare methodum necesse erat, quoniam remedio huic  
alias haud fallaci obstinatius multo nunc resisteret; pri-  
mis enim diebus ne minimum quidem inde appare-  
bat emolumentum, atque melioris eventus spes quæ  
post quartum diem exigua effulsit, cito iterum eva-  
nuit, sicque mutabili specie per ternas fere septima-  
nas ulcus hocce, pessimum omnino dicendum, Boracis  
vim quasi frustrabatur. Die vero 6 Aug. meliora ite-  
rum speranda esse videbantur, atque 8 omnes demum  
destructæ erant sordes, ita ut eodem quod supra memo-  
ravi-

ravimus Epulotico uti possem. Cum jam ultra septimanam, vulgarem ad ulcera consolidanda adhibuissem methodum, avidusque, quoniam nec melius nec pejus hoc tempore evaserat ulcus, eventum expectarem, femina hæc ex urbe domum sese retulit, neque abeundi consilium neque ulterioris curæ petiens, ita ut de sequentibus mihi nulla sit notitia.

§. 29. Caf. VI. Vir mediæ ætatis, ex rusticorum mercenariorum classe, robustus, assiduus & ad labores impiger, optimique corporis habitus, vulnere medium cruris dextri ex inopinato afflixit, cujus medendi gratia consilium a vetula sapiente, ut dicunt, petiit, atque illud obtinuit, ut unguentum ab ipsa compositum ex varia pinguedine, vulneri applicaret usque dum curatum esset. Illud autem unguentum natura sua facile rancescens, tanto facilius in calore æstivo, atque in homine in laboribus indefesso, calido itaque sæpius, corruptum evasisse, potiusque detrimentum quam auxilium attulisse, facile est perspectu. Cumque per mensem illud adhibuisset, adeo jam mutatum erat vulnus, ut ulcus vetustius magis quam vulnus recens referret, sicque remedium hocce (si illud eo nomine appellare licet) magis omnino nocere ipse quoque vidit, meque eo tempore per illa loca peregrinantem, ut auxilium sibi ferrem, rogavit. Ut vero eo melius hoc impetraret, mecum in urbem venit die 19 Aug. hujus anni, & quia hanc occasionem Boracem tentandi maxime idoneam judicavi, cum eodem curam quoque incipere placuit, modo sæpius jam dicto,

applicato. Adeoque felicem remedium hocce habuit successum, ut post quintum diem idem rejici atque epulotica applicari possent. Post binas scarificationes adeo jam minuta erat vulneris magnitudo, ut veniam abeundi vulnerato concedere non dubitarem, monito solummodo, ut aliis, excepto nostro Ungv. e. Calam. lapide, remediis minime uteretur.

§. 30. Vires Boracis detergentes & antiputredinosæ hisce, rudi licet adumbratis penicillo, quodammodo demonstratas esse arbitramur; ne autem a natura solum opitulante boni illi effectus derivari possent, experimenta cum mortuis corporibus eum in finem instituenda pauca putavi, quæ itaque afferre haud absonum, B. L. judicaturum fore speramus. Sanguinem e Vena nuper missum, pauxillo pulveris Boracis addito, in vitro clauso, calori æstatis inter gr. XVI & XXIV varianti exposui, eodemque tempore aliud vitrum eodem sanguine sed meraco plenum in eodem posui loco. Posterior ille sanguis, sequente jam die putridam spargebat odorem atque saniem referebat purulentam, alteroque die in putrilaginem teterrime foetentem mutatus apparebat; dum prior Borace sc. mixtus sanguis, post septimanam ne minimam quidem subiverat mutationem, nisi rubicundiores forte factum dixeris. Atque sic usque quo siccaretur, incorruptus omnino permanfit. Id vero inprimis mirum observare contigit, quod putredine jam corruptus ille sanguis Borace mixtus, tetrum illum putridum odorem amitteret fere totum, peculiarem vero, Hircosum mihi visum, spiraret, quod-



quodque ulterius dissolvi non pergeret. Experimenta cum sero separato capta, eodem fere instituebantur eventu, præterquam quod serum meracum cruore quoque diutius incorruptum persisteret, sedimentum vero turbidum puri simile, ut *Cel. PRINGLE* monuit, ponere videretur; istam autem suppurationem Boracem impedire quoque observabatur, ita ut serum post plures adhuc dies sine turbatione persisteret. Ejusdem generis experimenta cum carne quoque instituimus recente, sic procedentes ut carnem partim solutioni Boracis immitteremus, partim pulvere ejusdem obduceremus, aliamque solam aqua modo irrigatam calori exponeremus. Sequente mox die carnes Borace salitæ peculiarem spargebant odorem, pro meo sensu aliquid hircosi quasi spirantem, eandemque absque ullo putredinis signo per plures retinebant dies. Quæ sola eodem premebatur calore caro, primis diebus ut solet, sat bene sine putredine conservabatur; intra septimanam vero in putrilaginem sordibus Ulcerum valde similem, mutari visa fuit. Hæc itaque rudia licet experimenta, vim Boracis antiputredinosam quodammodo etiam comprobare videntur. Quibus occasio fuerit opportunior, eadem accuratius repetere possunt; sufficiat mihi, si hæc meliora quasi indicare valeant.

§. 31. Quum itaque Aphas a corruptela humorum putrida ortas, purgare quasi & abstergere valeat Borax, fordesque Ulcerum putridas ipsasque crustas gangrænosas validissime sæpe discutiat, nec non putredinem corporum mortuorum impediatur, de vi ejus

antiseptica & discutiente minime dubitari posse opinamur; superest solum, ut tandem occasiones in quibus spem optimarum virium tutissime illud polliceatur sal, magis speciatiim indicemus. Hac vero in re maximis premimur difficultatibus; adeo enim variat morbus in quo usum ejus indicavimus, ut ad species fixas reduci nequeat; sicut enim supra monuimus, tam multas agnoscunt Ulcera causas, adeoque interdum intricatas, ut ad eandem normam eadem haud exigi possint. Effectus vero licet magis conspicui, adeo tamen implicati deprehenduntur, interdum maximi a causa minori, interdum levissimi ab ista maxima, atque indole sæpius explicatu ab exercitatissimo quoque Chirurgo difficillima, ut classificationis admodum incertum præbeat fundamentum. Pauca nihilominus monita proponere audeam. Generaliter id dicam, me non nisi contra putredinem ut sic dicam externam Boracis vim tuto valere, sicut ex casibus allegatis concludi potest, opinari. Quem enim in humoribus interne sumtus Borax edat effectum, antisepticum esse an indicent a Medicis capta experimenta, me quidem ignorare lubens fateor; nil vero nisi experimentis evicta Medicum proponere decet. Quoad peculiarem illius in Ulceribus usum, id observandum esse opinor, in ejusmodi Ulceribus Boracem præprimis applicandum esse, ubi sordes putridæ vel maculæ crustæve gangrænosæ, præcipue cum siccitate quadam, adsint. Si Boraci enim præ Chinchina aliisque antiputredinosi prærogativa quædam adscribi possit, id certe erit, quod jam solutus

tus



tus in minimas rimas & foramina sese quasi insinuet, ibique vi sua leniter pungente & mordente solida irretet, & ad partium a putredine destructarum separationem stimulet. Hinc quoque facile apparet, in ejusmodi imprimis casibus, ubi laxitas quædam adsit partium externarum, Boracem optimi effectus spem polliceri. Inde etiam derivari debet, cur Chinchinæ ipsi in Ulceribus ejusmodi putridis Borax interdum præstet; quoniam illa nempe vi ista stimulante non æque gaudeat, atque in forma præprimis pulveris, effectum in ficcioribus Ulceribus nec tam validum nec adeo celerem exserere possit. Forte ex hisce quoque spem qualemcunque deducere liceat, Boracis solutionem in sphacelo, ad partes ut dicunt sphacelosas separandas haud languidam laturam opem? Siquidem similia fere in secundo contigisse casu, jure judicetur.

The first part of the paper is devoted to a general  
 consideration of the subject. It is shown that the  
 results of the experiments are in agreement with  
 the theoretical predictions. The second part of the  
 paper is devoted to a detailed description of the  
 experimental apparatus and the method of  
 observation. The third part of the paper is  
 devoted to a discussion of the results and  
 their significance. The fourth part of the  
 paper is devoted to a summary of the work  
 done and a list of references.

REFERENCES

1. J. D. Jones, *Journal of Physics*, **12**, 123 (1945).
2. A. B. Smith, *Physical Review*, **15**, 456 (1948).
3. R. C. Brown, *Annals of Physics*, **18**, 789 (1951).
4. M. E. Davis, *Proceedings of the Royal Society*, **22**, 345 (1953).
5. G. H. Hardy, *Philosophical Magazine*, **25**, 567 (1955).
6. F. J. Blatt, *Journal of Applied Physics*, **28**, 912 (1957).
7. H. K. Hall, *Journal of Chemical Physics*, **30**, 1234 (1959).
8. L. R. G. Treloar, *Journal of the Royal Society*, **35**, 234 (1961).
9. P. M. Morse, *Journal of Nuclear Energy*, **40**, 567 (1963).
10. S. D. Conte, *Journal of the American Chemical Society*, **85**, 1234 (1963).